BANCO DE ESPAÑA
Eurosistema

BIBLIO
TECA

Questio theologica et moralis omnibus orbis christiani Doctoribus ... [Manuscrito]

[S.l. : s.n., 1700].

Vol. encuadernado con 12 obras

Signatura: FEV-SV-M-00194 (04)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html

Aviso legal
Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente

Quæstio theologica et moralis.

Omnibus Orbis Christiani Doctoribus

a Theologo Duaceno

Proposita super celebri controversia inter Ill.mum D. D. Episcop. Atrebatensem et Patres Societatis Iesu in Belgio

exorta occasione thesis apud Patres

Dominicanos propugnatæ de Recidivis

Præmittitur ergo status et caput controversiæ.

Propugnata est apud Patres Dominicanos Duaci 15 Martij 1700 thesis theologica. Cujus author, ac præses R. et eruditissimus Pater Areca ejusdem Ordinis sacræ theologiæ licentiatus, cum ageret de Confessariorum obligatione illos non absolvendi, qui ad sacramentum pœnitentiæ indispositi accedunt, quæstionem sibi proposuit, solvitque his verbis: *Sed quid de recidivis? Quod propter relapsum præcise absolutionem denegent, aut differant Confessarij, non approbamus; quod enim quis postea peccet, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit.*

Hanc thesim ægre tulit Ill.mus Atrebatensis Episcopus, ideoque illius authorem ad se aliquoties vocatum, et Atrebatum Duaco venire iussum, excepit verbis acrioribus, urgetque, ut eam ipse retractaret; cum vero hic censeret nihil in ea thesi inveniri reprehendendi posse, Ill.mus Patres Societatis Iesu consoluit litteris ad eorum Rectorem destinatis, quibus petebat, ut ipse, et sacræ theologiæ professores suam de praefata thesi sententiam scripto transmitterent, quod illi praestiterunt verbis sequentibus.

Nos infrascripti Societatis Iesu Sacerdotes, ac theologi Duaceni requisiti, quid sentiamus de hac thesi: *Sed quid de Recidivis? Quod propter relapsum præcise absolutionem denegent, aut differant Confessarij, non approbamus; quod enim quis postea peccet, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit.* Non videmus ex quo capite reprehendi debeat [illegible]

Banco de España. Biblioteca

[illegible] beat absolutio non obstantibus quibuscumque signis veræ Conversionis, aliisque Circunstantiis. Cuius contrarium aperte supponit Illmus Illustrissimo in Observationibus suis numero 14, ubi nempe ita sequitur: Consuetudinarios, aut recidivos absque emendatione notabili non absolvant, nisi raro &.

Hæc responsio non minus quam ipsa thesis displicuit Illmo Illustrissimo, qui summopere motatus, et conquestus est Patres Societatis illi doctrinæ adhuc adhærere, quam ipse iam dudum improbaverat: Unde et illos urgere cepit ad suam resolutionem retractandam, aliamque substituendam: sed multis frustra tentatis, hoc unum impetrare potuit, ut præfati Professores suorum superiorum iussu declararent, se per illam responsionem nihil aliud intendisse, quam absolvi aliquando posse recidivos iuxta eundem articulum Illmi Illustrissimi in ea laudatum.

Interea præfatam thesim scripto in lucem edito approbarunt cum sacra facultas theologiæ Gratiana, accedente magnifici Domini Rectoris authoritate, tum ex academia Lovaniensi sex præclari theologiæ doctores, ac Professores; nec ideo desiit Illmus Illustrissimus eam improbare; quin imo ab eo tempore decrevit nulli è Patribus Societatis Iesu, qui in quatuor Collegiis Diœcesis [illegible] versantur, licentiam dandam ad confessiones concedere, nisi approbent, et subscribant hanc propositionem: Aliquando pænitenti propter relapsum præcise deneganda est, aut differenda absolutio. Cui decreto obtemperare se non posse cum responderint Patres Societatis Iesu, ideo licentia ad excipiendas confessiones quatuor abhinc annis privantur. His candide commemoratis.

Quæritur.

1º. An docto theologo, et catholico suspecta, vel aliqua reprehensione digna videri possit, aut debeat doctrina, quæ in allata Patrum Societatis Iesu responsione, et explicatione continetur?

2º. An non sit erronea propositio hæc, cuius subscriptio, et [illegible]

Notanda.

Pro quorum resolutione advertendum est, illos sacræ Theologiæ Professores harum propositionum vim præcipuam constituere in hac causali: propter relapsum præcise, fatentur enim, et sustinent relapsui aliquando negandam esse, aut differendam absolutionem, sed propter carentiam notabilis emendationis, et indiciorum majoris doloris, aut firmioris propositi, quam in præcedentibus Confessionibus, item propter perseverantiam in ijsdem circumstantijs, et ijsdem peccandi illecebris; item propter rationabile dubium de debita pœnitentium dispositione &c, non vero propter relapsum præcise, sic ut relapsus præcise, sive recidentia per se sit ratio sufficiens, imo et causa præcisa aliquando negandæ, aut differendæ absolutionis: alias enim semper, et cuilibet pœnitenti relapso etiam bene disposito, et emendato, et quantumvis evidentia veræ conversionis signa monstranti neganda, aut differenda esset absolutio, quia propterquam quod (ut aiunt) à causali ad universalem valet argumentum non obstantibus quibuslibet veræ conversionis signis, quilibet pœnitens relapsus semper haberet rationem sufficientem, imo et efficacem præcisam negandæ vel differendæ absolutionis, nempe relapsum.